

sententiam: BIBENT, ET ABSORBEBUNT, ET ERUNT QUASI NON SINT, aut, ut in Hebraeo dicitur. QUASI NON FUERINT. Ex quo magis perspicitur hic agi de figurate Idumaeis. Agitur enim cum omnibus gentibus et postremum mundi atque illarum excidium describitur. Absorbebunt, inquit, id est, ebibent, penitus calicem irae Dei, et erunt quasi non sint: talis enim impiorum hominum futuros est fortunarum atque vitae exitus. Nam sempiterno conclusi carcere, hactenus vivent, ut in felices se esse, atque miseros sentire possint, hoc est, erunt perinde, ac si non essent. Sequitur:

10.—Et in monte Sion erit salvatio et erit sanctus, et possidebit domus Jacob eos qui se possederunt, et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula, et succendentur in eis et devorabunt eos et non erunt reliquiae domus Esau, quia Dominus loquutus est.

Divus Hieronymus, et qui Hieronymum sequuti hanc Abdiae vaticinationem de veris, vel Idumaeis, vel Judaeis intelligunt, hac ejus parte Judaeorum e Babylonia reditum praedici volunt, quando Cyrus permisit illis, ut, reversi in Judaeam, eversas Hierosolymas et templum solo aequatum extruerent. Itaque exponunt: **ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO**, id est, urbs Hierosolymorum, quae Sionis arce atque monte potissimum continetur, ad pristinum suum statum atque decus redibit, Judaeique in ea tranquillam degent, atque felicem vitam salvi atque incolumes. **ET ERIT SANCTUS**, id est, templum Dei sanctum iterum in ea extruetur: **ET POSSIDEBIT DOMUS JACOB EOS QUI SE POSSEDERUNT**, id est. Non solum Judaei restituentur in locum suum, sed et eos qui se oppresserunt ipsi oppriment. Quod Machabaeorum tempore, ut illi dicunt, evenit. Idumaeos enim primum Judas Machabaeus armis fregit, deinde Hircanus, et ipse Asmoneus, ita edomuit, ut sacrificare Deo Judaico ritu coegerit, ut Josephus scribit. Haec illi qui

ferri quidem utcumque possent, si qua modestia hoc litteris mandavit Hieronymus, simili ipsi modo litteris prodissent timide et cunctabunde, ac suae isti sententiae diffidentes: nunc autem suarum rerum, ut apparet, inducti studio amoreque, rem falsam ita asserunt confidenter, ut ferendi non sint. Primum enim, quamquam judicium istorum in hac re interdum desidero, tamen non tam offendor quod inconsiderati sint; esse enim cuique ut lubet suo periculo licet, quam indignor usque eo illos Christi causae si minus adversari, parum certe favere velle, ut quas hostes nostri ad Christi tempora pertinere vaticinationes fatentur, eas ipsi alio referant, et removeant a Christo. Itaque parum abest quin exclamem, *oh indignum facinus!* Nam est facinus certe indignissimum homines in Ecclesiae gremio nutritos, quorum praecipuum studium deberet esse, quacumque pateret aditus in arcanae sacrarum litterarum loca ingredi, Christumque inde elicere et in lucem proferre, non solum qua datur nolle ingredi, sed quod in ipsis est sepire id atque obstruere. Et certe hoc Salomon hoc David, kimhi, commentatores Hebraei, hoc Jonathas Paraphrastes, hoc ipsemet Hebraeus Doctor, quem consulebat et quem hoc in loco laudat Hieronymus, nisi de Christo interpretemur, recte interpretari posse constantissime negant. Sed abeamus ab hostibus: nostri quid obsecro? sive illi veteres, qui heroicis temporibus Ecclesiae vixerunt, sive iis, qui aetate nostra, aut avorum nostrorum scriptis floruerunt, Lyranus, Vatablus, Montanus, nonne omnes Christum, in his scriptis proprie contineri cognoscunt? At opponitur nobis Hieronymus. At Hieronymus, si, qui ejus auctoritate abutuntur, attente ejus scripta legerunt, timide et diffidenter id asserit. Sed opponunt Hieronymum. At uni Hieronymo nos contra opponimus Augustinum, Theodoretum, Abbatem Rupertum, Dionysium, innumeros alios, tot ut luminibus circumfusos, non admodum nobis obstet Hieronymus. Quamquam quid necesse est probationibus uti artificiosis,

quando res ipsa prodit se et plenam sui fidem ipsa facit? Omitto solemne esse vatibus vaticinationes suas rerum a Christo gestarum laetissima commemoratione terminare atque claudere, a quorum institutis, quando eodem inflabatur spiritu, Abdiam degenerasse non credo. Omitto res domi forisque a Machabaeis feliciter gestas, ipsorummet adversis praeliis atque cladibus fuisse variatas, et rerum luctuosissimarum admixtu obscuratas, et vero Herodianorum tyrannide paulo post consequuta ita obrutas, vix ut appareant. Omitto denique alia, quod initio horum commentariorum dixi; nonne planissime rem istam evincit? Superstitibus Judaeis, et incolumibus, atque beatis manentibus, Idumaeos ad unum omnes delendos fore aperte Abdias praedicat. Ecquando ergo si de veris Idumaeis hoc scribit Abdias, Idumaei ad unum omnes caessi sunt? Ecquando sic bellis afflicti, ut non, aut simul, aut paulo post eadem belli calamitas pervenerit ad Judaeos? Ecquando Idumaeorum gens atque nomen extinctum est? aut si eos extinctos esse jam isto tempore putant, equos florentes atque beatos Judaeos nobis ostendant, qui Idumaeorum bustis insultent? Caecidit illos aliquando rex Judaeorum David; at Idumaei postea caeciderunt Judaeos: ceperunt illorum urbes atque vastaverunt Judaei, ipsi etiam postea, Chaldaeo duce, Hierosolymas diruerunt. In Idumaeos deinde victricia arma converterunt Chaldaei; in Judaeos postea, suis sedibus restitutos, Antiochus Epiphanes desaevit, Machabaei denique Idumaeos debellarunt. Herodes Idumaeus centesimo post anno et Machabaeorum genus extinxit, et Judaeos suo imperio subiecit, subjectosque tenuit eo usque quoad Romani, Tito duce, funditus Judaeorum everterunt, et extinxerunt rempublicam. Ut etsi eodem belli impetu Idumaeorum res deletas fuisse demus, tamen dicere non possimus illis deletis superstare Judaeos. Quid? quod disertus Abdias dicit Idumaeos, eos de quibus loquitur, occisione occisum iri a Judaeis, non ne est palmerium?

ET ERIT, inquit, DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS JOSEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA, ET SUCCENDENTUR IN EIS ET DEVORABUNT EOS, ET NON ERUNT RELIQUIAE DOMUS ESAU. Nam certe Idumaei si extincti sunt, simul cum Judaeorum republica sunt extincti, ut, et si concedamus extinctos esse Idumaeos, tamen necesse sit dicere non Judaeorum armis eos esse extinctos, sed Romanorum potius, eomet tempore, quando respublica Judaeorum concidit. Ecquem igitur hujus vaticinationis exitum isti verae, intelligentiae contemptores invenient? Sed et fore, ut Judaei Samaritas aut deleant, aut solum vertere cogant, eorumque ipsi sedes occupent, testatur Abdias quò dicit: ET POSSEDEBUNT REGIONEM EPHRAIM, ET REGIONEM SAMARIAE. Eam autem regionem Judaei ab eo tempore quando eam primum amiserunt acti in exilium, deinceps numquam recuperarunt, sed Medi, et Assyrii coloni eam obtinuerunt ad usque Christi tempora, et gentis Judaeorum excidium. Nam quod quidam dicunt Judam Machabaeum Samaritas suae ditioni subjecisse, falsum apparet; tantum enim vicisse scribitur Nicanorem, qui milite raptim e Samaria collecto bello ipsum lacesserat, sed Nicanorem vicit, non autem Judaeorum colonias in Samariam deduxit. Itaque Judaei non ii sunt, quos Abdias Samariam possessuros dicit, quando eam, ut constat, non possederunt. Et ut alia omittamus, hoc, quod dicam, id abunde demonstrat. Nam isthaec hoc loco promissa Judaeis fortunae in melius mutatio felicissimo fine terminatur et clauditur: ET ERIT, inquit, DOMINO REGNUM. Judaeorum autem secundae res, ex eo postquam Machabaei arma sumpserunt, patriae charissimae amissione, et regiae urbis ruina, et templi augustissimi incendio, et ipsorummet miseranda caede atque strage, terminatae sunt. Quare, mea quidem sententia, pro certo tenendum est, haec dici de Christi Ecclesia, cujus felicem progressum pro more prophetarum involute Abdias et figurate describit; itaque inquit: ET IN MONTE

SION ERIT SALVATIO ET ERIT SANCTUS, etc. Exposito enim impiorum, quos Idumaeos vocat, interitu, Ecclesiae piorum felicitatem futuram exponit. Exponit autem non ejus aliud alias, quasi ea variis et inter se distantibus essent futura temporibus, sed quasi se universa profusura essent, et evolutura repente: ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO, id est, pereuntibus impiis servabuntur pii: atque quemadmodum illos ira Dei paulatim conficiet, tandemque absumet, sic hos per singula fere saecula ab impiorum oppugnatione servatos tandem constituet Deus liberos ab omni dimicatione et periculo in statu felicitatis tranquillo et in aeternum permansuro: ET IN MONTE, inquit, SION ERIT SALVATIO ET ERIT SANCTUS ET POSSIDEBIT DOMUS JACOB EOS, QUI SE POSSEDERUNT, ET ERIT DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS JOSEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA, ET SUCCENDENTUR IN EIS ET DEVORABUNT EOS ET NON ERUNT RELIQUIAE DOMUS ESAU QUIA DOMINUS LOQUUTUS EST. Primo proponit quanta futura sit Ecclesiae felicitas, deinde exponit quibus viis ad eam sit perventura, id est, primo universe praedicat piorum hominum gloriam, deinde eam per singulas partes magis explicat. De primo: ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO, ET ERIT SANCTUS. Nam his verbis fortunatus piorum status declaratur, id est, Ecclesiae triumphantis status, qui est status maximus atque foelicissimus eorum, ad quos Ecclesia pervenient, tunc enim salutem plene consequetur, et sanctitatem. Quamvis enim nunc piorum Ecclesia redempta a Christo sit, et a peccati culpa mundata, tamen a peccati reliquiis, et ab iis quae peccatum sequuntur, poenis liberata nondum est, sed est in futurum liberanda. ET ERIT, inquit, IN MONTE SION SALVATIO. Hebraice et Chaldaice ad verbum: ET ERIT IN MONTE SION EVASIO. Dicitur autem futura evasio in Sion, id est, in Ecclesia triumphanti: Primo, quoniam qui in ea sunt, jam hujus vitae pericula, et varia discrimina evaserunt: deinde, quia is unus locus est quo, qui evadere ista mala cupiunt,

debent omni studio contendere. Praeterea, quod in Sion dicitur futura salvatio, non solum eo dicitur, ut significetur eos qui in monte Sion fuerint, futuros salvos, sed quo etiam intelligatur nusquam nisi in Sion salvos futuros. ET ERIT SANCTUS. Chaldaicus plurali numero: ET ERUNT SANCTI. Sed saepe accidit ut singularis numeri voce, plura significantur quam significantur plurali; significatur enim universum genus de quo agitur, ut apparet in illo (1): «ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis, mentietur opus olivae...» Nam ficus ficulneae omnes sunt, et olivae opus, universum earum genus.

Quare quod dicitur: ET ERIT SANCTUS, perinde est ac si diceretur: et erit ibi omnis sanctitas, aut quidquid sanctum usquam est, ita ut omnes qui in eo loco sunt, sancti sint, et extra eum locum nemo sit sanctus. Quod aliis quidem, sed idem significantibus verbis, Esaias futurum vaticinatus est dicens (2): «Et ponam visitationem tuam pacem, et praepositos tuos justitiam: non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio».

Sed addit: ET POSSIDEBIT DOMUS JACOB EOS QUI SE POSSEDERUNT. Exponit jam quibus Sion viis, id est, quibus Ecclesia piorum rationibus assequutura sit eum sanctitatis et felicitatis gradum quem dixit. Ac primum affirmat futurum, ut domus Jacob possideat eos, qui se possederunt: domus autem Jacob vocat Apostolos et reliquos fideles genus ducentes a Judaeis, qui primo Ecclesiae tempore ad Christi fidem conversi, sua ipsi voce gentibus, ut eandem sequerentur religionis fidem, auctores fuerunt. Nam fideles Judaei gentes perduxerunt ad fidem, sicut Esaias vaticinatus est dicens (3): «Quoniam de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Hierusalem». Hi igitur Israelitae fideles, in quibus et ante et post Christi adventum dominatae sunt gen-

(1) Habac. III. (2) Esai. LX. (3) Esai. II.

tes, ante quando suae ditioni eos subjecerunt, post quando illis quod Christi doctrinam divulgarent, se infesti opposuerunt, eosque ferro atque igne persecuti sunt. Hi ergo tot modis a gentibus oppressi, gentes, ut Abdias vaticinatur, fidei atque evangelio subjicient, et ad suum aggregabunt numerum, ita ut qui ante in eorum dominabantur corporibus, animos ipsi suos postea eorum ditioni, atque rectioni submittat. Itaque ista oratio verbi possidendi constat ambiguo usu: non enim utrobique eodem accipitur modo, quod supra demonstravimus esse familiare prophetis. ET POSSIDEBUNT EOS QUI SE POSSEDERUNT, in hebraeo ad verbum sic: ET POSSIDEBUNT POSSESSIONES AUT HAEREDITATES SUAS. Quae fere eandem habent sententiam. Nam haereditates ipsorum, hoc est, Apostolorum et eorum qui idem apostolicum exercent munus, vocant eos in quorum animis fecerunt, ut Christi dominaretur religio. Nam pollicitus fuerat Deus Judaeis fore, ut virtute Christi, id est, veris doctrinis docendis, veraque religione inserenda toti orbi imperarent.

Sed pergite: ET ERIT DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS JOSEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA. Fideles Judaei primum gentes ad fidem Christi vocare coeperunt, hos postea nonnulli e gentibus conversi in eodem docendi, et ad Christum vocandi adjuvarunt munere. Itaque utrorumque opera Christi fides per universas orbis nationes late propagata est, quod haec verba significant. Nam domus Jacob ad fideles Judaeos pertinet, domus autem Joseph e gentibus conversos significat. Quod ut esse verum intelligatur, est advertendum, domus Joseph nominari eas tribus, quae ab Ephraim et Manasse, duobus Joseph filiis, genus ducebant. Eos porro liberos Josephum sustulisse in Ægypto e foemina Ægyptia, et a religione Judaeorum aliena. Jacobum vero eorum avum, ut memoratur in Genesi (1), quamvis matre

(1) Gene. XLVIII.

gentili natos, pro filiis adoptasse ipsos, tum etiam praecipisse reliquis filiis suis, ut in Palaestinae divisione ac sortitione, eos, non solum praedae participes facerent, sed tantumdem agri singulis darent, quantum reliqui filii sui, quorum in sortitione atque partitione ratio habenda erat, tribui sibi, suaeque vellent familiae. Quare ex hoc fieri ut istorum nomina, atque domus, quae ambae domus Joseph nominantur, aptissime a vatibus transferantur ad significandas gentium Ecclesias. Nam sicut hi, quamvis in Ægypto nati et de matre Ægyptia suscepti, aequo jure cum Jacobi filiis Palaestinae inter se partiuntur, atque dividunt terram; sic gentes, quibus nulla generis conjunctio intercedebat cum Abraham, et qui testamentorum hospites erant, fide et religione Christi ab ipsis suscepta in familiam Abrahae, et in nomen, et in haereditatem transierunt. Ergo, inquit, domus Jacob, id est, apostoli, et reliqui fideles Judaei erunt ignis, et domus Joseph, id est, fideles orti e gentibus, erunt flamma, et domus Esau, id est, universitas impiorum atque idola colentium hominum, erunt stipula. Itaque corripiet stipulam flamma atque ignis, eamque sic absumet, ut nullum ejus vestigium amplius extet. Id quod in maxima gentilium hominum parte jam evenisse videmus. Nam ab Apostolis apostolicisque primum viris, deinde ab eis, qui e populo gentium conversi, vita functis Apostoli, Apostolici muneris curam et laborem subierunt, ita est disseminata per orbis oras Christi fides, ut idolorum abolitus sit et extinctus cultus. Recte autem vocatur ignis ea vis, qua Josephi et Jacobi domus Idumaeos suae ditioni subjicient. Sic enim in evangelio eam Christus appellat qua dicit (1): «Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat». Sic autem nominatur, ut ex eo intelligatur, non solum quam sit efficax ista vis, quamque in agendo acris, ac velox; sed etiam quomodo a parvis initiis

(1) Luc. XII.

brevi ad summum perveniat. Nam, ut perexiguus ignis auris leniter excitatus brevi magnus efficitur, itaque late vagatur, ei ut obsisti non possit; sic evangelii vis ignea flante Deo, ab humili ad summum venit, totumque fere orbem complevit. In quo etiam praetermitti non debet, quanto iudicio vates in hac re usus fuerit ignis atque flammae vocabulis, quando dicit: **ET ERIT DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS JOSEPH FLAMMA.** Nam ut ab igne oritur flamma, exorta vero latius patet quam ignis, et magis conspicua est, sic a domo Jacob, id est, ab iis, qui e Judaeis ad Christi fidem sunt conversi, geniti sunt in fide Christi, ii qui genus ducunt a gentibus, id est, a Jacob Joseph, et ab igne flamma est exorta. Semel vero geniti atque educti, ipsos a quibus educti sunt multitudine superant, eorumque fides atque religio ut flamma splendet longe lateque, utriusque autem in gentilitatem, sicut ignis in stipulam invadentes, eam consumpserunt, et ad nihilum redegerunt. Itaque ait: **ET SUCCENDENTUR IN EIS,** iste scilicet ignis succendetur in infidelibus: **ET DEVORABUNT EOS,** quoniam eorum infidelitatem extinguent. Nam qui aliquem alium ad fidem ex infidelitate traducit, is manducare ipsum dicitur in sacris litteris, eo quod eum trajiciat in Christi mysticum corpus, ut apparet in illo quod Petro visum est sibi dici (1): «Surge, Petre; occide, et manduca». Quo verbo praeceptum illi fuit, gentes ut evangelium doceret. Itaque fideles devorabunt infideles, id est, illos ad fidem ab infidelitate convertent, ex quo fiet id quod mox sequitur:

ET NON ERUNT RELIQUIAE DOMUS ESAU. Nam infidelibus et idolorum cultoribus, partim opera fidelium ad Christum conversis, partim mirabili virtute Dei variis rationibus extinctis, atque deletis idolorum cultus ita esse desiit, ut fere nullae ejus reliquiae jam appareant. Sed pro eo quod noster vertit: **ET NON ERUNT RELIQUIAE,** Graeci verterunt,

(1) Act. x.

et non erit *πυρόφορος* quod nonnulli pro frumentario accipiunt, aut pro frumenti feraci agro. Itaque Graeca Latine sic vertunt: **ET NON ERIT FRUMENTARIUS.** Sed certe *πυρόφορος*, non solum frugifer, sed etiam ignifer est, veriusque videtur Graecos id vocabulum, non pro frumentario hoc loco posuisse, sed pro ignifero. Nam frumentario, non videtur esse in hac oratione locus: ignifer autem recte conveniat cum superioribus. Nam quoniam vates domos Jacob et Joseph igneas dixit futuras esse, quo significaret quanta eorum hominum, qui ad eas familias pertinerent, futura esset vis in divulgando Evangelio, recte et consentanee dicit in domo Esau neminem futurum, qui ignem ferat, hoc est, neminem in illa futurum, qui vim habeat ad resistendum. Praeterquam quod ex iis, quae Theodoretus in hunc commentatur locum, aperte intelligitur *πυρόφορον* isto in loco Graecis interpretibus non frumentarium esse, sed igniferum: quod qui illa Theodoreti commentaria Latina fecit, non satis advertit, itaque sensus omnes atque verba confundit. Sed et Hieronymus quamvis pro *πυρόφορον* frumentarium posuerit, non disimulat Graecos interpretes igniferum posuisse. Nam *πύρφορος* scripsisse ipsos e nonnullorum probat sententia: *πύρφορος* autem haud dubie est ignifer, quem etiam *πυρόφορον* significat; sed interest quod *πυρόφορος* ambiguae significationis est, *πύρφορος* autem unius, ut videtur. Porro ignifer, quod, ut nobis videtur, Graeci posuerunt, varie exponi potest. Primo: non erit ignifer in domo Esau, id est, non erit qui vim habeat ad resistendum, quomodo id Theodoretus exponit. Deinde: non erit ignifer, id est, non erit superstes, hoc est, cui Esau vitae atque generis lampada tradat. Nam filii qui in demortuorum patrum locum succedunt, lucernae appellari solent in his litteris, quod in eis majorum suorum luceat memoria, ut in tertio Regum (1). «Ut remaneat lucerna David servo meo

(1) III Reg. cap. xi.

cunctis diebus coram me in Hierusalem». Et in quarto (1): «Noluit disperdere domum Juda propter David servum meum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam et filiis ejus cunctis diebus». Et in libris Paralipomenon. Postremo non erit ignifer, id est, non erit ulla militaris ars, non arma, non virium robur in domo Esau. Nam *πυρόφοροι* in re militari olim dicti sunt, qui aciebus in procinctu stantibus et ad congregiendum paratis, ipsas anteibant acies, altera manu lauri ramos, altera lampada praeferentes. Sed sequitur: **QUIA DOMINUS LOQUUTUS EST**, quo docet quod praedicit mutari in diversum non posse. Sequitur porro:

II.—Et haereditabunt ii qui ad Austrum sunt montem Esau, et qui in campestribus Philisthiim et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariae et Benjamin possidebit Galaad.

Haec quidam qui Judaeorum Rabbinos, et eorum interpretandi humile genus oderunt, ita humiliter interpretantur, Rabbinitates ut omnes hoc loco superent, certe ita se gerant, ut prae illis Rabbini sublimes, et magnorum arcanorum conscii videri possint. Nam cum nostri fere universi, haec partim per Apostolos gesta esse asserant, partim gerenda affirment per eos qui Apostolorum munus obeunt, cumque omnes Hebraeorum doctores ipsa rerum hic promissarum magnitudine admoniti, quoniam venisse Messiam negant, per eum quem frustra sperant venturum contendunt implenda esse, Assamonaeorum certe res gestas minores omnino fuisse fateantur quam ut promissorum istorum explere magnitudinem possint. Isti tamen in Assamonaeis haerent, ex eorum factis hujus vaticinationis veritatem exquirunt; iis quae gesserunt illi, hujus sui promissi Deum exoluisse fidem volunt. Itaque utriusque Josephi historiarum et eorum, qui de Machabaeis inscri-

(1) *iv Reg. cap. viii.*

buntur librorum omnes forulos excutiunt: quidquid Machabaei domi forisque bene unquam gesserunt, castella incensa, oppida expugnata, spolia direpta, excursionses omnes ac prope velitationes armorum minutissime colligunt, agri Judaeorum ditioni per eosdem additi passus fere numerant: unamque ex omnibus his summam efficiunt, promissis, ut arbitrantur ipsi, hujus vaticinationis aequalem, hoc est, humi repunt, et, ut Hieronymus scriptum reliquit, tamquam colubri terram comedunt. De quo etsi nos nonnulla supra, tamen quo magis constet errare illos, age nunc pedem propius conferamus cum ipsis. Numerant ordine Palaestinae regionis eas partes quas hic Abdias commemorat: et in singulis insistentes docent, conantur docere certe, in eis a Babylone reversos dominatos fuisse Judaeos. Ac de monte Esau, hoc est de Idumaea, quam venisse illi in potestatem Judaeorum volunt, supra satis responsum est. De Palaestinis autem, quod dicunt extare Ezechielis vaticinium, quo praedicitur fore ut eorum regiones obtinerent reversi a Chaldaea Judaei, nimis certe falluntur. Non enim Ezechiel Palaestinos subjiendos praedicit nominatim Judaeis, sed omnino delendos dicit. Quod autem delendi dicantur Palaestini, non ideo sequitur fore ut Assamonaei delerent illos, aut ut eos suae ditioni subjicerent. Potuit Nabuchodonosorus, potuerunt Chaldaei, quod et fecerunt uti vaticinatus est Jeremias (1). Nam is poculum illud vino furoris plenum etiam Palaestinis bibendum porrexit: et aperte praedixit fore, ut ante restitutam Judaeis libertatem suorum peccatorum Palaestini poenas luerent vastati a Chaldaeis. In regione etiam Ephraim, et regione Samariae Judaeis asserenda simili in errore versantur. Nam quod constat Galilaeam possessam a Judaeis, et quod sortis Ephraim nonnullas urbes Machabaeis ducibus superarunt, ut Josephus Gorionis scribit, decem tribubus attri-

(1) *Jere. xxv.*